

D. D.

# PLANTÆ HYBRIDÆ,

*QUAS,*

ANNUENT. EXPER. ET NOBILISS. FAC. MED.  
IN ILLUSTRI ACAD. UPSALIENSI,

Sub PRÆSIDIO,

VIRI NOBILISS. ATQUE EXPERIENTISSIMI,

## DN. DOCT. CAROLI LINNÆI,

SÆ RÆ M:TIS ARCHIATRI,

MED. ET BOTAN. PROF. REG. ET ORD.

ACAD. IMP. N. C. MONSP. STOCKH. BER. UPS.  
TOL. SOCII,

SPECIMINIS ACADEMICI LOCO  
PUBLICÆ BONORUM DISQUISITIONE SISTIT  
STIPENDIARIUS NESSELIANUS,

## JOHAN. J:NIS HAARTMAN,

AUSTRO-FINLANDUS.

IN AUD. CAR. MAJ. AD DIEM XXIII. NOV.  
ANNI MDCCLI.

HORIS ANTE MERIDIEM SOLITIS.

---

UPPSALIÆ

S:æ R:æ M:tis  
*MAGNÆ FIDEI VIRO,*  
REVERENDISSIMO  
PATRI AC DOMINO,  
**DN. JOHANNI**  
**BROWALLIO,**  
S. S. Theologiæ DOCTORI,  
Diœseos Aboënsis EPISCOPO,  
Academiæ ad Auram PRO-CANCELLARIO,  
Reg. Acad. Scient. MEMBRO,  
*MÆCENATI MAXIMO.*

**O**ptime cuique notum est, quantum patroci-  
nii, Reverendissime PATER, & quam indefes-  
sos pro Historiæ naturalis, nec non Chemiæ  
incrementis in TE suscipere dignatus sis la-  
bores. Hæc in memoriam redigendo, ad limina TUA  
hasce pagellas, licet vilissimas, venerabunda, uti fas  
elt,

est, mente deponere non dubitavi, cui audaciæ ut  
perbenevolus ignoscas, humillime oro atque obse-  
ero. Tanti, fateor quidem, non sunt, ut dignæ  
censeri possint, quas **TIBI**, *Reverendissime Domine E-*  
*PISCOPE*, offeram; sed quum Ipse, perspicacissima,  
quæ in TE est, mente rerum naturam scrutari sveve-  
ris, &, ut huic studio, quod auxiliares, ut plurimum,  
Medico manus porrigit, operam darem, lvasor olim  
fueris, &, quod caput rei est, summo favore omnes  
literarum cultores excipere soleas, non possum non  
hanc de *Plantis Hybridis*, quæ adhuc sub judice est,  
litem ad Tuum deferre judicium, utpote exquisitissi-  
mum. De cetero, *Reverendissime PATER*, spes **TIBI**  
meas venerabundus committo, pro perenni Tuo ac  
*Nobilissimæ Familiae* flore, quoad vixero, vota fusurus  
calidisima

## REVERENDISSIMI NOMINIS TUI


*cliens devotissimus*  
**JOHAN. J:NIS HAARTMAN.**

ÄNKE FRU PROFESSORSKAN,  
FRU MARIA HAARTMAN,  
MIN HÖGTÅRADA K:STA MODER.

Ju flöre välgärningar, ju mera syskelsätta de ett tacksaet finne. Hvad har vil förré kunnat enom vederfara, än dem min Huldafta Moders mig i ymnigaste mäatto ertedt. Jag som för mer än 14 års sedan, efter den Högste försynens behag mäst, med flere omyndiga Syson, erfara det bistra öde, at se mig uti affaknad af min K. Fader, och således obekräftigt kommit, förän jag siefel det rätteligen lärde förstå, att fördubbla min K:sta Moders bönda, då min upfostrin kastades helt och hället på Edra axlar, har doch af Guds nåd, och genom min K:sta Moders förforg hunnit få vida, at jag nu mera får framte första brodden af min K:sta Moders på mig använda osparda möda och kostnad. Jag finner här aldeles et haf utan botn, när jag besinnar, det min Högtårade K. Moders lilla förråd, mellankommende flora olyckor, den bevälfte flygten, och oräkneliga forger hafva ei kunnat afhålla eller hindra min K:sta Moder, at efter fulländat Studium Pharmaceuticum, låta liksom på nytt igen uppamna mig i bokliga konster. Hvad är då at undra på, om häpenheten över alt detta, förlätter mig i diupaste bekräftning, samt gör mig stum, då jag som aldrämäkt borde visa mig ta-lande. Ju mera jag önskar kunna finna ord, at betyga min sonliga vördenad och erkänsla emot alt det goda jag niutit, desto mer försättes jag uti bekymmer och oro över min oförmögenhet, at med tungan kunna uttrycka, hvad hiertal hyser. Uti all som första undergifvenhet räcker jag fram denne mitt snilles förtling, som vitnar om min K:sta Moders hafda trügna omsorg för mig. Tag K:sta Moders honom benäget emot, såsom et litet tekn til erkäntla, och försäkra Eder, det mit upsät och härefter skal genom Guds nåd blivisa oförändrat, at til Edett beröm, så längt förmågan fräcker sig, fara fort uti silit och oförtrutenhet, så väl, som uti trogna böner til Gud, den Högste han ville giöra min K:sta Moders älderdom lätt och behagelig, föröka dess dagar, mig och flere till glädje och hugnad, samt kröna med allsköns nåd och välfignelse. Framhårdar osålteligen och til min död

MIN HÖGTÅRADA K:STA MODERS

Ödmjuka - lydigsta son  
JOHAN. JOH. HAARTMAN



nnium fere unanimis diu sicut consensus, viva omnia ex semine propagari, foetus eandem inire vivendi rationem, quam antea parentes, singula intra suas species multiplicari, atque adeo universa viventia, qualia in principio instituta erant, talia etiam in posterum sine specie-  
rum, vel mutatione, vel mixtione permanere. Ne-  
que vero meum est propositum hac occasione, rece-  
ptas illas ab eruditis opiniones refellere; multo minus  
eximis Creatoris operibus quid detrahere, sed tantum-  
modo rationes, que novarum in regno Vegetabili spe-  
cierum ortum probare videntur, in medium proferre.  
Haec vero sapientiam gloriamque numinis tantum abest,  
ut infringant, ut illa, aliis rationibus ad ejus confirma-  
tionem, quam quae ab experientia corroborentur, o-  
pus non habeat; legesque Divinæ, quibus contine-  
tur natura, citius ex ipsa experientia, quam præcon-  
ceptis opinionibus deducantur. Verum enim vero,  
hoc argumentum nimis magnum esse, meque de his  
rebus sententiam ferre non audere, lubens concedo;  
sed libertatem tantummodo mihi expeto, exempla, ob-  
servations quasdam, quas Nob. D. Präsidis auspicio,  
mihi perspectas reddere potui, exponere,

A

Vete-

**V**eteres, observationibus adhuc non satis innixi, terram non solum Fungos, Muscos, atque Algas, verum etiam Herbas ac Arbores, casu fortuito, ad leges tamen a Creatore in principio positas, producere crediderunt; immo Infecta, aliaque Animalcula, etiam si artificiosissime sint composita, ut maxima scilicet in minimis eluent, putredine tamen eadem exire contenderunt.

Verum simul atque ad sublimiorem gradum evenientes sunt scientiae, naturae vestigia exactius rimantes, sexcentis observationibus perceperunt, perpusilla ista animalcula easdem quas majora, minutissimaque vegetabilia easdem quas Arbores fervare leges. Adeoque immortalis *Harvæus* veritatem, antea jam fundatam, ac in posterum quoque permanentem, hanc constituit palladii instar: *omne nimirum vivum ex ovo.*

Pari quoque modo sequentis temporis impigri scrutatores repererunt, nullum ovum speciem propagare, antequam a masculo fecundatum sit; Genitaramque hujus seque necessariam ad novi individui productionem ac ovum ipsius esse, quæ duo conjunctim scutum sibi simillimum propagant.

Novissimi denique, quando cum Hydris suis, *Po-*  
*pis* vulgo dictis, progressi sunt, & oculis armatis vide-  
 runt illos vel natura vel arte dividi, existimabant se  
 novum generationis modum conspicere; qui nullus tam-  
 men alias erat, quam ille in Vegetabilibus perenni-  
 bus *antea* satis cognitus, ubi una ex radice plures sto-  
 lones & caules reptando excrescunt, individuaque no-  
 va ponunt; deinde vero observabant Hydras suis quo-  
 que gaudere ovis \*), ac secundum illas *itas* leges,

que

\* ) Vid. act. Stockh. 1746. p. 205.

que animalibus reliquis majoribus norma sunt, multiplicari.

Quotidiana satis superque demonstrat experientia, omnia intra suas species permanere, mares feminasque animalium, illa lege naturali, amore scilicet, ad se invicem, intra suas species duci, matrimonia celebrare, suasque familias propagare, ut rarissime extra hanc legem ad alias species abeant; nec sine admiratione cernimus, foetum quam proxime non solum qua structuram & faciem externam matri, verum etiam patri assimilari, & ita sane, ut filia interdum vultum patris, & filius autem contra, matris animum sensumque exprimat. Sic mirari subest, cur species ita includantur & permaneant intra suas familias, & quid ni aliis cum speciebus commisceantur.

Notissimum autem cuique mediocriter curioso est, animalia rarissime extra suam quaque gentem esse miscere; at tamen multo rarius est, hoc meretricium sobolem procreare, que tum *partus Hybridus* vocatur. Ast partus *Hybridos* possibles esse, hoc *Mulus ex duabus diversis speciebus*, *Asino & Equa generatus probat*. Æque perspicuum partus hybridus exemplum habemus inter aves, in *Passere Canariensi Fn. Sv. 207.* coéunte cum *Achanto fæmina Fn. Sv. 203.* ex quo foetus & patri & Matri similis evadit<sup>10</sup>). Neque hac occasione præterire possumus stupenda Dei præscripta: Hæ enim species *Hybride*, etiamsi genitalibus instructæ sint, familias suas propagare vix ac ne vix quidem possunt.

An ejusmodi partus hybridus in regno Vegetabili quoque existant, adhuc exemplis non satis perspectum est, cum leges generationis Vegetabilium hoc seculo primum evidenter innotuerint, & de cetero Vegeta-

A 2 bi-

<sup>10</sup>) Iter Westrogoth. II. 12.

bilia climate & fertilitate terre ita mutentur, ut una eademque planta, in diverso solo nata, sepiissime videatur parentibus sat dissimilis Varietas.

Quod si a me queratur utrum novae plantarum Species, per miscelam duarum diversarum, oriiri possint, an quotidie oriantur, & ex principiis theoreticis, quantum oculis cernere possumus, ad hæc responderem, libere declarare fententiam meam negando. Etenim non solum videmus rudimentum semenis in germine longe ante fecundationis tempus; verum etiam conspicimus Corticem se evolvere in Calycem, Librum abire in Corollam, Lignum evadere in Staminia, Medullamque immediate produci ad ipsum Semen. Immo in Graminibus, aliisque Monocotyledonibus reperio medullam continuari ex radice in ipsum semen, materiamque pulposam ibi efficientem, quando semen decidit, abrumpi. Et quando e terra pullulat semen ex crescere quoque & radiculas exserit in eō puncto, quo diruptum erat adeo ut libenter pro certo ac indubitate haberem, embryonem ante fecundationem in germine suo, medullæ similem latere. Video quidem, nullum semen ante fecundationem germinare, pollen sub florescentia stigmati rorido adhærere, ibi rumpi, & contentum pollinis ab ipso pistillo absorberi, ac ad ipsum semen subire. Facile tamen hoc nihil aliud, quam elasticum quid esse, primum motum semen faciens Nedhamio crederem, nisi species hybridæ animalium aliud suaderent, que ad similitudinem non solum matris, verum etiam patris accedunt.

Cardo argumenti pro statuendis plantis hybridis, videtur tamen a posteriori corroborari. Constat enim omnibus, Botanicos, utpote Tournefortium Boerhaevium, Michellum, Pontederam cum reliquis sub fine prioris seculi, & quidem ad tempora Cl. Præsidis, hu-

ius seculi, innumeratas collegisse novas plantas Europaeas, veteribus ignotas; sed quod observandum, qua maximam partem similes veterum, ut vix figuris distinguunt potuerint. Cum itaque characteres sufficientes defecerint in hisce plantis, non potuit non Cl. D. Praeses has referre ad matres suas, sub nomine VARIETATUM, quæ colore, odore, sapore, magnitudine, tempore, pubescencia &c. differebant, quod acutissimi quoque Botanici, ut Jussieus, Royenius, Gronovius, Hallerius, Gmelinus, Guettardus, Dahlardus, Wachendorffius, Garterus, Büttnerus &c. post illum approbarunt & continuarunt. Dictum quidem est has varietates ex solo, loco, climate ortas esse, ideoque tantummodo accidentales; Interea tamen huic reformationi variae subjectae sunt, quæ Botanicos plurimum sollicitabant in determinandis speciebus, ad quam scilicet speciem merito referenda essent, quando duabus similes erant, & quidem ita, ut ne unica nota in planta questionis, etiam si distinctissima, & maxime singularis, inveniatur, quæ non in alterutra ambarum occurrit. Crescitque hæc hybrida in eodem solo cum ambabus & tamen a veteribus non observata. Hæc primum nos ad hoc Problema deduxerunt, utrum due diversæ plantæ tertiam produxisserent, an ut hybridae considerande essent, cum Botanici his primum temporibus generationem plantarum optime norint, & quales mutationes in plantis hinc deducantur, observarint in Brassica aliisque.<sup>4)</sup>

Itaque quando species quedam  $\varphi$  antea incognita, duabus aliis  $\varphi$  &  $\sigma$  exacte assimilans obvenit, ita, ut omnes notæ, quibus ab una  $\varphi$  dignoscebatur, in altera  $\sigma$  invenirentur; & e contrario, ut omnes characteres, quibus hæc  $\varphi$  dignoscitur, in illa  $\sigma$  ostendi possint, supica-

<sup>4)</sup> Amoenit. Acad. Vol. I. p. 730.

spicamus hanc ♀ ut hybridam, ex illis duabus originem suam duxisse; & quemadmodum hoc in variis evictum est speciebus, illam matrem agnoscimus, quae in fructificatione cum planta questionis convenit, illam vero patrem, quae fructu a planta questionis differt. Et quo haec eo evidentius proponantur in posterum, MATREM signo ♀, PATREM ♂, & plantam HYBRIDAM ♀ designavero.

Cum natura valde locuples sit, nec non in operationibus suis varia, nihil fere crederem, quam quod experimentis evinci, manibus palpari possit; quare ad effecta ipsius naturae jam progredior, quidquid ipsa demonstraverit, examinaturus. Interea tamen non ex toto patiatur se absterrerri Lector ab inexspectata hacce doctrina ut absurdum ac nova, cum alios jam dudum hanc præternaturalē, ut videtur specierum mixtionem supexisse animadverterimus, quemadmodum Marchand <sup>et</sup> exemplum unicum de MERCURIALI foliis laciniatis allegat, quam ex dissimili quidem patre ortum duxisse existimat, quae tamen speciem propagaverit. Nob. D. Praeses in dissertatione de Peloria <sup>B)</sup> exempla quædam dedit, quæ affirmare videntur partus hybridos inter vegetabilia quoque existere Celeb. D. Gmelin <sup>γ)</sup> videatur eadem vidisse in aliquibus *Delphinis*.

Demonstratio nostra, inixa exemplis, cum in scientia naturali principia veritatis observationibus confirmari debent, ut evidentior evadat, distinguemus plantas in certas phalanges.

### I. BIGENERES ex diversis generibus ortæ.

- |                           |                            |                              |
|---------------------------|----------------------------|------------------------------|
| <b>1</b> <i>Veronica.</i> | <b>2</b> <i>Arctotis</i>   | <b>3</b> <i>Delphin.</i>     |
| <b>4</b> <i>Poterium.</i> | <b>5</b> <i>Astelia.</i>   | <b>6</b> <i>Saponaria.</i>   |
| <b>7</b> <i>Primula.</i>  | <b>8</b> <i>Aquilegia.</i> | <b>9</b> <i>Chelidonium.</i> |

<sup>a)</sup> Act. patif. 1715.

<sup>B)</sup> Amoenit. scad. vol. I. p. 71.

<sup>γ)</sup> Programm. Tybing: 1749.

10. *Tragopogon.* 11. *Blitum.* 12. *Dracoceph.*  
 13. *Coclearia.* 14. *Braffica.* 15. *Arundo.*  
 16. *Syringa.* 17. *Acea.*

II. CONGENERES ex diversis speciebus ejusdem Generis.

18. *Verbena.* 19. *Helianthus.* 20. *Trifolium.*  
 21. *Cyanus.* 22. *Rbus.* 23. *Tussilago.*  
 24. *Dipsacus.* 25. *Urtica.* 26. *Pyrola.*  
 27. *Thalictrum.* 28. *Thalictrum.* 29. *Antirrh.*  
 30. *Alchemilla.* 31. *Iris.* 32. *Veronica.* 33. *Carduus.*

III DEFORMATÆ odore & crispatura.

34. *Meniba.* 35. *Tanacetum.* 36. *Malva.*  
 37. *Malva.* 38. *Reseda.* 39. *Geranium.*

IV OBSCURÆ, ubi parens difficile assignatur.

40. *Acanthus.* 41. *Acanthus.* 42. *Cynara.*  
 43. *Moluccella.* 44. *Dryas.* 45. *Rhinanth.*  
 46. *Menyanthes.*

V. SUSPECTÆ, quæ verisimiles videntur esse:

47. *Napaea.* 48. *Antirrhinum.* 49. *Campanula.*  
 50. *Chenopodium.* 51. *Torenia.* 52. *Sibthorbia &c.*

VERONICA ♀ hybrida; Upsaliæ in Horto Academicō  
lecta 1750, 1751.

VERONICA floribus spicatis, foliis ternis Fl. JV. 6.  
VERBENA officinarum Fl. JV. 26.

Plantæ hybridae Radix perennis, fibrosa, emittens  
futuri anni rudimenta herbae. Caulis pedalis, teres,  
incanus, erectus, instructus Ramis lateralibus 3. s.  
4. longitudine fere caulis, articulatus. Folia inferiora  
caulis opposita, petiolata, lato-lanceolata, sed pinna-  
tim

tim incisa laciniis inæqualiter serratis, incisis, sinus patulis, lateribus approximatis, subincana, margine deflexo, vasis supra profunde excavatis: Petioli inseruntur articulis, ut coëant ab utroque latere caulis. Folia superiora (per tria quatuorve genicula) tereta fere. Spicæ terminales: Flotculis numerosis, ut in reliquis Veronicis. Vid. fig.

Et ♂ & ♀ uno pulvillo, & haud longe a se invicem crescebant, neque longe ab his lecta est hæc nostra planta ♀, quæ antea nulli Botanico visa est. Altitudo, Statura, Color incanus caulis &c foliorum, Caulis teres, Spicæ structura, Corollarum color confirmant illam agnoscere Veronicam ♀ matrem. Neque dubium est, Verbenam ♂ patrem ejus esse, in eodem enim loco crevit; & si flores & rotunditas caulis cum colore dematur, acutissimus Botanicus dixisset esse ipsam Verbenam, folia enim ita exacte eadem divisura singulare, vasis supra profunde sulcatis, ut excepta magnitudine eadem omnino videantur. Flores etiam minores, quam in ♀, nec floribus Verbenæ majores. Folia quoque interdum terna ut in ♀, opposita vero pterisque ut in ♂. Floruit quidem hæc planta prima aestate, nullum vero fructum, nec altera, quoniam autem planta videtur perennare, exspectandum est tempus, quo videatur, si, quando robustior facta sit, semina gerat, eoque modo familiam sibi simillimam propaget,

**A** ARCTOTIS herbacea, radis petalis XII subintegris. Anemonospermous africana, jacobæ maritimæ foliis, flore sulphureo. Commel: var. 36. t. 36.

**G** ARCTOTIS herbacea, petalis radii XX tripartitis. Anemonospermous afra, foliis 5 facie Taraxaci incanis. Breyne. prodr. 3. pag. 7. t. 15. CA.

CALENDULA foliis lanceolatis denticulatis, pedunculis filiformibus. Hort. up. 274. Calendula bulbifera Africana, flore intus albo, foris violaceo simplici. Herman: lugdb. 104. t. 105. Breyne. prodr. 3. p. 26. t. 14.

Hanc plantam & originem suam debere & cui similissima, vix dubium est cum nullae nostre reales illam ab ea distinguere possint, etiamsi qua notas accidentales satis inter se differant; at omnes notas accidentales, quibus planta nostra a matre & differt, habemus in ♂, cum qua in Capite bone spei crescit, quam itaque patrem judicamus, differt autem & a ♀ sequentibus notis.

*Caulis* angustiores, longiores, ramosiores quam ♀; *Folia* angustiora, minus villosa, simillima ♂. *Pedunculi* apice adspersi inter villos fetis rubris ut in ♂, nec fetis hyalinis ut in ♀. *Pedunculi* anteflorescentiam & peracta eadem gerunt Calices nutantes ut in ♂, nec erectos ut in ♀. *Pedunculi* florentes nocte & interdiu erecti, ut in ♂, nec nocte decumbentes ut in ♀. *Corolle* radit noctu ab hora 4ta vespertina, in 7mam matutinam, spiralisiter contortae ut in ♂, nec noctu erectae ut in ♀. *Corollule* diset ante explicationem nigrae ut in ♂ nec lutei ut in ♀. *Radius* subitus purpurascens ut in ♀, nec subitus virescens ut in ♀. *Corollulae* radii XII. f. XIII. lanceolatae, (raro trifidae) ut in ♂, nec numero XX ad basin tripartita ut in ♀. *Flores* triplo minores quam in ♀, adeoque magnitudine ♂. *Antherae* nigrae sunt, ut in ♂, nec luteæ ut in ♀.

Omnes haec undecim notæ, quæ vix ac ne vix quidem unum characterem specificum constituant, distinguunt quidem nostram plantam & ab ♀, sed quoniam haec notæ omnes, deprehenduntur in ♂, nihil pro-

babilius esse reor, quam hanc ♀ agnoscere & pro patre  
& plantam ♀ pro matre; cum nulæ alie notæ existent,  
& in uno eodemque loco natali inveniantur.

**3 DELPHINIUM hybridum.**

**♀ DELPHINIUM neclariis diphyllis, foliis peltatis  
multipartitis acutis. Hort. cliff. 213.**

**♂ ACONITUM Napellus. Fl. sv. 442.**

*Caulis* ♀ qua staturam, teneritatem & altitudinem  
simillimus est ♀, quemadmodum etiam qua totam fru-  
ctificationem, immo colorem. *Folia* vero omnino ♂  
sunt, ut vix discerni possint; Etenim neque pallida, ne-  
que subvillosa sunt ut ♀; sed glabra, atroviridia, ut  
♂. *Præterea* neque ista latitudine ad basin, neque lo-  
bis dilatatis dentatis ut ♀ gaudent, sed fere ad basin in  
lacinias profundas fissæ, & primarie lacinie versus ba-  
sin sunt angustiores ♂, nec latiores ut in ♀, adeoque  
exacte respondent ♂ quando conferuntur. *Hæc non*  
*ex Siberia cum reliquis Delphiniis per semina allata est*  
*in Europam a Cel. D. Gmelino, sed exorta tamen in*  
*horto Petropolitano, unde in hortum Upsaliensem mis-  
sa est, ubi hodie optime ex seminibus propagatur. conf.*  
*Hort. upi. p. 151. 7).*

**4 PTERIUM Agrimonoides. Hort. upi. 288.**

**♀ PTERIUM inerme, filamentis longissimis. Roy.  
lugeb. 129.**

**♂ AGRIMONIA efficinarum. Fl. sv. 394.**

*Hæc* ♀ refert ♀ tota structura & partibus omnibus,  
ut difficile distinguatur nota aliqua essentiali, at ve-  
ro cum ♂ coincidit *Facie* tristiore sicciori, *Caulibus* te-  
retibus striatis & minus angulosis, quam in ♀. *Altitudi-  
ne* qua excedit ♀ bis vel ter, & attingit staturam ♂.

Her.

*Herba subvilloſa tota ut ♂, nec glabra ut ♀; adeoque gerit faciem ♂ & ſtrucluram ♀. Odor gratiior in hac & fortior quam in ♀, quod in Hybridis pluribus obtinet.*

5 ASCLEPIAS nigro flore. Baub. pin. 303. Hort. upf. 53.

♀ ASCLEPIAS flore albo. Baub. pin. 303. Fl. fv. 200.

♂ CYNANCHUM caule volubili, foliis cordato-lanceo-latis glabris. Hort. upf. 54.

Planta ♀ simillima eft ♀, ut Botanici eam quoque ob cauſlam hæſitarint, num ſtatuenia eſſet diſtincta ſpecies nec ne. Quando autem æſtates paulo calidiores funt, incipiunt ſummi caules convolvendo naturam patris gerere, & præterea æque nigros fert flores ac ♂; qui color, exceptis Cynanches ſpeciebus, in floribus rariſſimus eft, nec exemplum datur in regno vegetabili floris alijs variantis ab albo naturali in nigrum.

6 SAPONARIA concava anglica. Baub. pin. 206. Morif. hift. 2. 5. t 22. f. 52.

♀ SAPONARIA calycibus monophyllis cylindraceis ovato lanceolatis. Hort. upf. 106. I.

♂ GENTIANA aliqua.

Saponariam ♀ a ♀ ſatam eſſe, tam evidenter habitus, ut vix dubitare fas fit, approbat; ſibi ipſi vero hæc Saponaria diſſimillima *Foliis* conteavis facta eft, quod ſpecies luxuriatioris diſci eft, cujus ſubſtantia magis dilatatur, quam ipſe margo. Partum autem hybridum potius foliis multiplicari, hoc facile nobis ſuademus, a ſequentibus Crispis plantis inducti. *Corolla* conſirms patrem plantam monopetalam fuiffe, cum illa monopetala infundibuliformis fit, præterea quoque numerus ſtaminum minor, quam alias in Saponariis, & quo-

niam flos, ut etiam tota herba in ♀ proxime cum Gentianis conveniat, nominarunt Joh. Bauhinus, Barrelierus, aliique illam Gentianam. Ignotum mihi adhuc est, utrum semina gerat, an semine unquam speciem suam propagat, cum per radices communiter in hortis propagetur. Hæc planta, quæ in Anglia primum lecta & inde in hortis producta, non ulterior inventa est eo in loco, ubi primum crescebat. vid. Raji syn. 3. p. 339.

♂ PRIMULA *foliis petiolatis, sublobatis crenatis.*

♀ PRIMULA *foliis glabris carnosis integerrimis. Hall. belv. 485.*

♂ CORTUSA *foliis cordatis petiolatis. Hort cliff 50.*

Planta ♂ scapo nudo umbellato, Corollis infundibuliformibus purpurecentibus, limbo quinquepartito, Laciniis semibifidis cum ♀ omnino convenit, at foliis cordatis, sublobatis, crenatis, rugosis ita refert ♂, ut demta fructificatione pro eadem ab exercitatissimo Botanico dignoscatur.

PRIMULA: *Verbasculum pratense vel sylvaticum inodorum Baub. pin 241.* omnibus partibus convenit eum ♀. PRIMULA *veris odorata flore luteo simplici. Baub. hist. 3. p. 495.* ut differat folla magnitudine, & praesertim limbo corollæ triplo majore, eoque omnino plano, nec ut in priore concavo, ut taceam absentiam odoris in hac planta, qui in ♀ fragrantissimus est. At tamen propagatur proprio semine, inq; eodem loco cum ♀ lege constantissima.

8. AQUILEGIA *nectariis rectis, pistillis corolla longioribus. Hort. upf. 153.*

♀ AQUILEGIA *nectariis incurvis. Fl. sv. 443.*

**♂ FUMARIA canadensis.** Hort. Ups. 207. n. 1.

Planta ♀ quam ♀ minor, immo tenerior ut in ♂.  
*Folia* longe minora, tenuiora, pallidiora, ut in ♂. *Corolla* minores, *Nectaris* magis erectis & flore angustiore ut in ♂. *Color* corollæ singularis, scilicet ruber, ore luteo, quod in regno Vegetabili peregrinum est; plerumque enim solet basis corollæ minus esse colorata quam limbus, & consequenter corolla lutea esset ore purpureo, contra ac in hoc casu, ubi ♀ ♂ similis; Planta ♀ refert ♀ de cetero, qua structuram, sed omnibus partibus tenerior est quam ♀, nec non minoris atque anterioris corollæ, immo folia gerit pallidiora, ut ♀.

**9. CHELIDONIUM Papaver corniculatum violaceum.**  
 Baub. p. 172.

**♀ PAPAVER:** *Argemone capitulo breviore.* Baub p. 172.

**♂ CHELIDONIUM.** *bipinnatum, pedunculis unifloris.*  
 Hort. Ups 137.

Planta ♀ magnitudine, foliis, corollis, colore, immo vero omni habitu & facie simillimis est ♀, ut neutiquam possint, demto fructu, distingui. *Capula* autem neque subglobosa, neque sex torulis canaliculata ut ♀, sed omnino linearis siliquosa & hispida ut ♂, attamen plerumque *stigma* triplex, quam ♀ gaudet otuplici & duplici. ♀ a ♀ exortam esse, tanto minus dubitamus, cum Botanici etiam acutissimi hæscent, utrum pro distinctis habenda speciebus, an tantummodo pro varietatibus.

**10 TRAGOPOGON calycibus corollæ radio longioribus, foliis integris, seminibus laevibus: disci papo-  
 phis, radii calyculatis.** Hort. Ups. 243.

**♀ TRAGOPOGON** *purpureocæruleum.* Hort. Ups. 243 n. 2.

**♂ LAPSANA Hieracium falcatum.** C. B. Hort. Ups.  
 245. n. 2.

Plan.

Planta ♀ cum matre ♀ & convenient qua Faciem, Collam purpuream, Calyceem corolla & pappo duplo longiorem & Foliis gramineis. Cum Patre ♂ vero in sequentibus concordat: Calyx ♀ & ♂ absoluta florētia non contrahitur, sed patulus persistit. Paleæ exstant inter flosculos, quæ in ♀ nunquam dantur. Semina radili gerunt in apice calyculum. Caulis quoque magis ramosus, divaricatus, & parvus non vero ut in ♀. Radix annua, non vero biennis ut in ♀. Hinc elucet illam Paleis & Caliculo seminum sese distinguere a ♀ toto charactere artificiali, etiam si in genere naturali, quod structuram calycis & faciem plantæ cum illa congruat, quod rarissimum naturæ exemplum est.

- 11 BLITUM capitellis sparsis lateralibus. Hort. Upf. 3.  
 ♀ BLITUM capitellis spicatis terminalibus. Hort. Upf. 3.  
 ♂ CHENOPODIUM rubrum. Fl. sv. 210.

Congruit ♂ cum ♀ tota structura fructificationis, cum ♂ vero modo crescendi, ramis f. virgis depresso, longioribus, & corona fructificationis pallidiore.

- 12 DRACOCEPHALUM foliis verticillatis, bracteis longis ovatis integerrimis, corollis calyce multoties majoribus. Hort. Upf. 167.

♀ DRACOCEPALUM floribus verticillatis, bracteis oblongis integerrimis, corollis vix calycem equantibus. Hort. Upf. 167.

- ♂ NEPETA corymbis geminis pedunculatis axillaribus, foliis cordato-oblongis acuminatis serratis. Hort. Upf. 164.

Convenit ♀ cum ♀ 1. Radice annua, quæ in ♂ perennis, 2. Ćaule pedali, qui in ♂ bipedalis. 3 Figura eadem. Cum ♂ vero concordat Foliis longius petiolatis

tis, *Corolle labio superiore compresso; totaque corolla majore, etiam si labium superius congruat cum ♀.* Itaque & qua staturam Herbae consonat cum ♀, corollulis vero ex toto ab hac discrepat.

13 COCHLEARIA foliis caulinis cordato-sagittatis amplexicaulibus. Hort. cliff. 332.

♀ COCHLEARIA foliis radicalibus subrotundis, caulinis oblongis sinuatis. Hort. cliff. 332.

♂ BRASSICA orientalis perfoliata. Hort. Upf. 190. n. 2.

Structura fructificationis, nec non sapor ad amusim respondet ♀; statura vero erecta & alta, folia amplexicaulia sic ex toto ♂, ut fere nullus existimaret illam affinitate ♀ attingere.

14 BRASSICA foliis lyratis, caule hirsuto, siliquis retrorsum hispidis. Hort. Upf. 191.

♀ BRASSICA foliis lyratis, caule hirsuto, siliquis glabris. Hort. Upf. 190.

♂ SINAPIS siliquis hispidis, rostro obliquo longissimo. Hort. cliff. 133.

Planta ♂ tota structura refert ♀, at differt foliis acutioribus, & precipue siliqua, intra stylum compressionis, pilis reflexis hispida, quae nota singularis est, & propria ♂.

15 ARUNDO foliorum lateribus convolutis acumine pungente. Fl. sv. 102.

♀ ARUNDO panicula coarctata erecta integra, foliis inferne glabris. Fl. sv. 101.

♂ ELYMUS: Secale spiculis geminatis. Fl. sv. 106.

Convenit cum ♂ foliis acuminatis, pungentibus, glaucis; spica pallida; loco natali, qui est ad littora maris arena volatili, immo radiculis sursum multiplicatis;

panicula vero structura Arundini & similiis est, etiam si minus lanata & magis coarctata ad instar spicæ.

**16. SYRINGA** foliis lanceolatis integris. Hort. cliff. 6.  
♀ **SYRINGA** foliis ovato-cordatis. Hort. cliff. 6.

**♂ JASMINUM** foliis oppositis pinnatis. Hort. cliff. 5.

Filia ♂ non discrepat a ♀ nisi magnitudine, qua cedit, & teneritate totius. Jasminum esse patrem, iudicio aliorum subjicimus, nos a **SYRINGA** foliis lanceolatis integris laciniatisque. Hort. Cliff. 6, quæ varietas tantummodo nostra est, huic sententiae vide-mur assentiri debere.

**17. ACTÆA. Christophoriana americana** racemo-sa baccis niveis. Moris. hist. 2. p. 8. f. 1. t. 2. f. 7. Hort. Ups. 138. β.

♀ **ACTÆA**. Hort. cliff. 209. Fl. s. 43r.

♂ **RHUS** trifoliatum virginicum. Gron. virg. 149.

Convenit c. ♀. toto habitu, at cum ♂ baccis laetis, quæ rarissima sunt in regno Vegetabili, & locus idem.

### CONGENERES

**18 VERBENA** - *tetrandra*, spicis longis acuminatis, foliis multifido-laciniatis.

♀ **VERBENA** *americana altissima*, spica multiplici, urticæ foliis angustis. Herm. parad. 242. t. 242.

♂ **VERBENA** *tetrandra*, spicis filiformibus, foliis multifido-laciniatis, caulis numerosis. Hort. Ups. 8.

Et ♀ & ♂ maxime inter se differunt, ♂ [enim] spicas gaudet filiformibus, floribus remotis, pallidis. ♀ vero gerit spicas fere clavatas, floribus imbricatis, saturate purpureis. Folia quoque horum quam maxime diversa sunt.

sunt. Filia naturalis ♀ in Horto Academicō 1748 eodem pulvillo cum ♂ & ♂ enata est, etiamsi neque per differentiationem, cum nemo ejus semina heic antea habuerit, neque plantationem, cum antea non fuerit intra patriam visa. Ex toto alias convenit hæc ♀ cum ♀, sed folia exacte sunt ♂ quoad magnitudinem, figuram & scabritiem.

**19 HELIANTHUS radice tereti inflexa perenni.**

*Hort. cliff. 419.*

♀ **HELIANTHUS radice annua. Virid. cliff: 48.**

♂ **HELIANTHUS radice tuberosa. Hort. cliff. 419.**

Planta nostra ♀ ita omnino cum parentibus ♀ & ♂ convenit, ut in omnibus, quibus ab una differt, id mutuetur ab altera; ♀ enim gaudet *radice annua*, fibrosa, maximaque substantia medullari in receptaculo floris, indeque maximus est flos. ♂ vero gaudet substantia carnosa in tuberibus radicis perennantibus, in receptaculo vero florum nulla fere, unde flos minimus est. ♂ autem & in radice fibrosa & in receptaculo floris hanc substantiam æqualiter distribuit, quo radix perennat, receptacula autem florum majora ♂, minora vero ♀ sunt. *Folia ♀ cordata*, nervis tribus pone, seu extra sinum baseos unitis, nudis. *Folia ♂ ovato-cordata*, nervis tribus infra basin folii unitis, adeoque postico latere etiam foliosis. *Folia vero ♀ ad partem inferiorem caulis convenienter cum ♀*, ad partem vero superiorem cum ♂, itaque ♀ media inter ♀ & ♂. *Locus natalis omnium est America.*

**20 TRIFOLIUM hybridum. TRIFOLIASTRUM *su-*  
*pinum corymbiferum annum album majus, folio*  
*longiore obtuso. Mich. gen. 28. t. 25. f. 5.***

♀ **TRIFOLIUM pratense album. Baub. pin. 374**

**♂ TRIFOLIUM spicis villosis, caule diffuso, foliolis integerrimis. Hort. cl. ff. 375.**

Hanc certe distinctam esse a nostro Trifolio ♀, non possumus non contendere, cum & caulis sit diffusus, longitudine st̄pe pedalis, minimeque repens aut perennis ut ♀, sed tantum procumbens, annua plantā, & propriis seminibus propagetur. Illam & vero hybridam esse claret, cum caulis, qua omnes suas partes convenient cum Trifolio ♂, cum quo etiam crescit, non tantum prope Upsaliā, sed & juxta Aboam, ubi eandem præterita estate legi. Ludit etiam flos albus communiter colore purpurascēte, quo tantum accedit patri, quantum a matre recedit; præterea Fructificatiōrem Trifolii albi ♀, cum omnibus ejus proprietatibus gerit. Paucis locis obvia est hæc planta, nec veteribus nota, quod videtur esse signum, illam haud in pridem generatam fuisse.

**21 CYANUS orientalis major moschatus, flore pureo. Morf. bīf. 3. p. 335. l. 7. t. 25. f. 5. cuius varietas est CYANUS floridus odoratus turcicus s. orientalis major, flore albo. Tournef. inst. 441.**

**♀ CYANUS. floridus odoratus turcicus s. orientalis major, flore luteo. Tournef. inst. 441.**

**♂ CENTAUREA quedam.**

Hanc plantam & ortam esse ex ♀, & habitus & facies caulis, statura, odor & annuitas, præter reliqua, satis superque comprobant. Differentiæ, quibus & ♀ inter se distinguuntur sequentes sunt: Calyx ♀ magis ovatus, squamis intimis membranaceis, apice acutis armatis, apice fusco; & magis globosus, squamis apice obtusis, nec armatis. Radii corollæ in ♀ luteæ fistulosæ, prismatæ, plicatæ, ore tantum quatuordecim-dentato, in & vero purpureæ aut albæ, tubulosæ, infundibuliformes,

mes, striatæ, ad medium quatuordecim-fidæ. *Disci* corollulæ & æquales, luteæ, pistillo duplo breviores; & vero exteriore majoræ, purpureæ aut albæ, vix pistillo breviores. *Semina* ♀ papposa, & vero nuda. Itaque quam maxime ♀, qua fructificationis partes, dissimilis est, ut difficillime sub uno eodemque genere cum ♀ referri possit, cum filiaæ & *Calycæ* careant armatura; *Flores* *disci* sensim majoræ versus peripheriam evadunt, ut radius vix distinctus a disco sit; *seminaque* diversæ, in hac & nuda, in ♂ vero papposa; quæ omnia tamen contra naturam Centaurei esse videntur. Itaque hæ plantæ, quæ generis characteribus diversæ, habitu tamen, facie, structura, annuitate, faveolentia sunt simillimæ, etiamsi utræque suo Semine sele propagant, & eo modo distinctas plantas, an tamen diverfas species, constituant?

22 RHUS foliis pinnatis integerrimis. *Hort. cliff.* 110.

♀ RHUS foliis ternatis: foliolis petiolatis ovatis acutis pubescentibus: integris sinuatisque. *Gron. virg.* 149.

♂ RHUS: elatior, foliis cum impari pinnatis petiolis membranaceis articulatis. *Gron. virg.*

149.

Convenit & cum reliquis ♀, ♂, loco & patria; cum ♀ baccis singularibus niveis, at cum ♂ foliis pinnatis integerrimis.

23 TUSSILAGO scapo imbricato, thyro oblongo;

flosculis fæmineis nudis; paucissimis centralibus hermaproditis. *Hort. cliff.* 411.

\*TUSSILAGO scapo imbricato thyrsiflora, flosculis omnibus hermaproditis. *Hort. clff.* 411.

♂ TUSSILAGO scapo imbricato, thyro fastigiato,

*flosculis fæmineis nudis paucis, centralibus hermaphroditis.* Hort. cliff. 411.

Tota statura & cum ♀ consonat, excepto scapo altiori. Flosculi fæminei nudi radium occupant in ♂; ex quo judico illam & hunc ♂ pro patre agnoscere! Quod si quis in reliquis hujus generis species inspicerit, mox inveniet, quam proxime in omnibus concordare illam plantam & cum ♀ & quidem ita omnino, ut quando natura constantes inter singulas species posuit limites, videatur tamen in hac proprias leges quasi neglexisse.

24 DIPSACUS folio laciniato. Baub. pin. 385. Morif. bist. 3 p. 58 f. 7. t. 6 f. 4.

♀ DIPSACUS capitulis florum conicis. Hort. cliff. 29.  
♂ DIPSACUS foliis petiolatis appendiculatis. Hort. up. 25.

Filia ♀ differt a ♀ 1. Magnitudine qua excedit. 2. Calyce universalis magis piloto. 3. Foliis pinnatifidis. 4. Foliis basi in unum coadunatis. 5. squamis capituli paleaceis, præter margines etiam qua carinam ciliatis. Itaque cum ♀ in omnibus, præter has quinque differentias, que omnes in ♂ occurunt, convenit planta nostra ♀.

25 URTICA pilulifera, folio profundius Urticæ majoris in modum serrato, semine magno lini. Raij. synop. 3 p. 140.

♀ URTICA altera pilulifera, parietariae foliis. Dart. mem. 4 p. 343.

♂ URTICA dioica, foliis oblongo-cordatis. El sv. 774.

Hanc nostram plantam & originem suam dux fle ex ♀ perspicue demonstrant & habitus & præcipue inflorescentia, utraque enim ex eadem axilla folii emittit pedunculum masculum, racemo dichotomo, & pedunculum fæmineum floribus in globum compactis. Itaque quando omnes species Urticæ conferuntur, satis eviden-

denter colligitur, has a se invicem ortas esse, maximeque verisimile videtur, hanc plantam procreatam es sea ♂, cum folia hujus plantæ sint cordatae, & ferrata ut ♀.

26 PYROLA *floribus racemosis dispersis, staminibus pistillisque. rectis. Fl. sv. 331.*

♀ PYROLA *staminibus adscendentibus, pistillis declinatis. Fl. sv. 330.*

♂ PYROLA *racemis unilateribus. Fl. sv. 332.*

Et qua *Folia* & qua *scapum* triquetrum, immo & qua *racemum* undique floriferum ita omnino ad ♀ accedit, ut & multi illam pro ♀ sumferint, vel pro simplici varietate illam venditarint. Flores vero staminibus erectis, nec procumbentibus, congruunt cum ♂. Probabilitatem auget plantæ inopia inter cognatas frequentissimas, quod arguit, eandem esse temporis filiam.

PYROLA *pedunculis apice b. floris tr. florisue. Fl. lupp. 48.*

convenit cum PYROLA *arbuti folio. Fl. suec. 333*  
Foliis oblongis dentatis, scapo umbellato, Florum forma, loco, ut dubium non sit, quin prior ex posteriore prodierit, attamen ita differunt, ut nullus priorem pro simplicissima varietate facile agnosceret.

27 THALICTRUM *hybridum, seminibus contortis.*

♀ THALICTRUM *majus. C. B. Fl. sv. 452.*

♂ THALICTRUM *minus. C. B. Fl. sv. 454.*

Nova planta nuper in Horto academicō visa, seminibus ruthenicis orta, convenit cum ♀ statura, habitu, foliatione, corolla, filamentis superne latioribus, antheris brevissimis, Seminibus pendulis, pedicellatis, triangularibus, angulis membranaceis. Differt vero Cau-  
le dimidiō breviore, Floribus albis, Foliis minime ru-  
gosis, Caulibus parum ancipitibus, quæ omnia in ♂. Se-  
mini-

mina huic contorta, stamina 40. pistilla 8; adeo-  
que media, cum ♀ staminibus 60, pist. 16; ♂ stamini-  
bus 16. pistill. 7. gaudent.

28 THALICTRUM foliis lanceolato-linearibus inte-  
gerrimis. Hort. cliff 226.

♀ THALICTRUM minus. C. B. Fl. sv. 454.

♂ THALICTRUM pratense. Fl sv. 453.

Convenit cum ♀ habitu paniculato, flocculis magis  
fasciculatis, staminibus 16 capillaribus, pistillis 7, flori-  
bus præsertim ante florescentiam nutantibus. Differt  
vero a ♀ Caule altiori ut in ♂. Foliolis plerisque lanceolatis  
indivisis; cum in ♀ sint ovata, lobata, obtusiuscula.  
Floribus magis flavis fere ut in ♂, cum in ♀ petala sunt  
purpurascientia. Staminibus longitudine calycis ut ♀, nec  
duplo longioribus ut in ♀. Caulis in ♀ laevis, in ♂ sulca-  
tus, in ♀ striatus. Orta fuit in Horto Academicus an-  
te aliquot annos, non sata.

29 ANTIRRHINUM foliis ovatis alternis, caule  
flaccido. Hort. Ups. 175.

♀ ANTIRRHINUM foliis hastatis alternis, caule  
flaccido. Hort. Ups. 175.

♂ ANTHIRRHINUM Cymbalaria dictum. Hort.  
Ups. 175.

Unam ex altera ortam esse, ullus negare vix pos-  
set, qui attendit ad habitum, locum, modum crescendi,  
inflorescentiam, structuram fructificationis, immo  
usque ad ipsa labia superiora corollæ, quæ singulari suo  
colore convenient, etiam si in eo ab omnibus reliquis in suo  
genere discedant. Quæ tamen necessario ab omnibus  
Botanicis pro distinctis speciebus sumuntur, cum ultra-  
que ex suo semine multiplicetur, & præsertim magnitu-  
dine foliorum, uti etiam figura, ab invicem sit distin-  
ctissima,

30 ALCHIMILLA *alpina pubescens minor*. Tour-  
nef. inst. 508.

♀ ALCHIMILLA *foliis digitatis*. Hort. cliff. 39.  
Fl. sv. 136.

♂ ALCHIMILLA *foliis lobatis*. Hort. cl. 38. Fl. sv. 135.  
Convenit ♂ cum ♀ loco natali Alpino, statura mi-  
nor, foliis nitidis, subtus argenteis; cum ♂ vero, fo-  
liis lobatis, nec fissis.

31 IRIS *pratensis angustifolia*, *folio fœtido*. Baub. pin.  
32. Hort. Ups. 17. n. 5.

♀ IRIS *angustifolia prunum revolens minor*. Baub. pin.  
33. Hort. Ups. 17. n. 6.

♂ IRIS *pratensis angustifolia non fœtida altior*. Baub.  
pin. 32. Hort. Ups. 17. n. 4.

Convenit cum ♀ germine & pericarpio sexangulari,  
Corollæ & Floris totius structura; at recedit a ♀ caule  
altiori, nec pygmæo; caule tereti nec ancipiti, quibus  
cum ♂ coincidit.

32 VERONICA *spicata cambrobritannica*. Raj: syn.  
3. p. 278. t. 11. f. 1.

♀ VERONICA *spicata minor*. Baub. pin. 247. Fl. sv. 7.  
♂ VERONICA mas. C. B. 246. Fl. sv. 12.

Superficies foliorum in ♂ singularis, proprio mo-  
do strigoso-tomentosa, quæ rarissime obvenit in aliis  
plantis, in primis in Veronicis; de cetero ♂ est fere re-  
pens, ♀ vero erectus quidem crescit, at tamen de-  
flectitur parum ad basin, & præterea ex toto retinet  
folia ♂, & spicas terminales speciosas ♀. Neque vi-  
sa veteribus.

33 CARDUUS *acanthoides*. It. stan. p. 297.

♀ CARDUUS *crispus*. Fl. sv. 658.

♂ CAR.

♂ CARDUUS nutans. Fl. sv. 655.

Haud discrepat ♀ a ♀ floribus (nisi forte quod squame calycinae sunt magis subulate) pedunculisque spinosissimis erectis, nec ab uno tantum latere spinosis, ut in ♂. At structura fere totius reliquae plantae ♂ est, sed magis spinosa, nec folia subtus villosa, quorum margino decurrit ad proximum folium aut ramum, in quo etiam naturam ♀ retinere videtur.

DEFORMATÆ

34 MENTHA floribus spicatis, foliis cordatis dentatis undulatis serratis. Hort. cliff. 306. Hort. Ups. 268.

♀ MENTA floribus spicatis, foliis oblongis serratis. Hort. Ups. 168.

♂ MENTHA floribus capitatis, foliis ovatis serratis petiolatis. Fl. sv. 482.

Filia ♀ nullibi, quantum constat, sponte crescit, orta itaque procul dubio fuit ex predictis, habet enim spicam ♀ & staturam ♂.

Odor videtur intensior fieri in speciebus hybridis, foliisque crispa, quod perspicere possumus ex sequentibus exemplis.

33 TANACETUM foliis crispis. Bauh. pin. 232.

Quod sine dubio ortum suum duxit ex TANACETO vulgari. Fl. sv. 666. a qua & odore fragrantissimo & foliis crispis differt.

36 MALVA foliis radicalibus reniformibus incisis, caulinis quinquepartitis pinnato-multifidis Hort. Ups. 202. quæ ex MALVA caule erecto, foliis multipartitis. Fl. sv. 582. videtur emersisse, sed minora & magis partita evadunt folia, & sive volentiora.

37 MALVA foliis angulatis crispis, floribus axillari-  
bus glomeratis. Hort. cliff. 347. forte producta sita  
MALVA caule erecto, foliis angulatis, flori-  
bus axillaribus glomeratis. Hort. Ups. 200. etiam si fo-  
lia quam maxime in ♀ crista sunt.

38 RESEDA foliis integris trilobisque, calycibus co-  
rollam aequalibus. Aerucago apula. Colum. ecpbr. I.  
p. 267 t. 269. originem suam procul dubio adscribit  
RESEDÆ foliis integris trilobisque calycibus ma-  
ximis. Hort. cliff. 212. Folia vero magis sunt un-  
dulata. Calyx ejusdeni longitudinis cum fructu & flo-  
re. Caulis scaber neque glaber. Flos svaevolens,  
non vero inodorus, quo a ♀ distinguitur.

39 GERANIUM moschatum, cicutæ folio. Baub. pin.  
139. originem quoque suam debere GERANIO  
Fl. sv. 579. & alii cuidam patri, quo & major & fra-  
ragantior est.

Hæ omnes plantæ propriis se propagant seminibus,  
nec unquam degenerant, ideoque pro simplicibus va-  
rietalibus vix habendæ.

CRISPATIO plantarum est varietas ex aucta  
superficie marginis foliorum, quæ ut fiat, necesse est,  
ut vis fortior excitans accedit. Pollinis vis elastica no-  
ta est; & si liceat hariolari, forte genitûræ vis ex vali-  
diore protrusione plantæ patris augeat vires vitæ in fi-  
liabus hybridis.

### OBSCURÆ.

40 ACANTHUS foliis pinnatifidis spinosis. Hort.  
cliff. 327.

♀ ACANTHUS foliis ciliatis inermibus. Hort. cliff.  
326.

D

CAR-

**♂ CHARDUUS forte aliquis?**

Structura utriusque ♂ & ♀ simillima & simillimi quidem flores, licet singulares hi, inter omnes flores; folia plantae ♀ sinuata, obtusa, inermia, mollia; in ♂ vero pinnatisida, acutissima, in spinas horridas undique desinentia.

**41 ACANTHUS medius rarioribus & brevioribus**

*aculeis notatus.* Morif. bist. 3. p. 604. f. 15 t. 2. f. 2. sine dubio progenita est a superiori ♂ ut matre, & a ♀ ut patre, & nunc ita discrepat ab utraque, ut nemo sciat, ad quam speciem ut varietas referri possit, ita enim omnino utrisque assimilis est.

**42 CYNARA similiter sese habet, cum ex hac quoque detur & Cynara inermis & Cynara hortensis foliis non aculeatis.** Bauh. pin. 283.

**43 MOLUCCA lavis Dod. pempt. 92. & Molucca spinosa Dod. pempt. 92.** satis a se invicem differunt, eos vero ita ab initio disere passe merito dubitamus.

**44 DRYAS pentapetala foliis pinnatis. Plant. camc. 16.**

**♀ DRYAS Fl. lapp. 215.**

**♂ GEUM aliquod foliis pinnatis.**

Habitus ♀ videtur in ♂ acaulis, stolonibus perennibus procumbentibusque, Floris structura, petalis, seminum cauda. ♂ vero dedit ei calycem & Corollam quinquepartitam & folia pinnata.

**45 RHINANTHUS Fl. fv 503. β Pedicularis praetensis lutea erectior, calyce floris bisecto.** Tournef. inst. 172.

**♀ RHINANTHUS Fl. fv 503. α. Crista galli praetensis humilior, coma fusca.** Rup. seu. 194.

♀ Sine ulla controversia videtur sequentis filii esse. Etenim ♀ vulgatissima est in omni terra quacunque. vero

♀ vero rarer nec in omnibus provinciis Sveciae. Etiam si  
haec ambae inter se non differunt, nisi quod ♀ major sit,  
spicaque ejus exactius tetragona pallidiorque, tamen ita  
facie differunt, ut quisque distinctionem inter has ob-  
servet. Persepe etiam in una eademque terra occur-  
runt intime mixtae, ex quo vides, non sufficere causam  
deduxisse a diversitate soli natalis.

46 **MENYANTHES** *foliis orbiculatis, corollis mar-  
gine laceris. Hort. cilff. 83.*

♀ **MENYANTHES** *foliis ternatis. Fl. suec. 463.*  
♂ **NYMPHAEA** *calyce magno quinquefido. Fl. suec. 226.*

Convenit ♀ cum ♀ tota structura fructificationis,  
exceptis corolle villis, qui quidem in ♀ discum corolle  
occupant, in ♀ vero tantum marginem corolle ve-  
stient; cum ♂ vero Loco natali in lacubus profundis quietis,  
Foliorum figura & habitu natandi in aqua, corollis  
flavis.

### SUSPECTÆ

Sufficiant praecedentia ut exempla evidentiora  
& satis perspicua; sufficerent etiam ad demonstrationem  
rei, ubi quatuor tantummodo vel ad summum sex ex-  
empla, omni exceptione majora, sufficienter possibilitatem  
& existentiam rei evincerent. In volumen facile  
ex crescere hoc argumentum, si describere ac enumera-  
re vellem omnia vegetabilia, quæ specierum hybrida-  
rum suspicionem præbent, quare sequentia, ut verisimi-  
lia & suspecta praecedentibus adjungam, & breviter so-  
lum nominabo.

47 **NAPOEA dioica.** videtur orta esse ex **NAPOEA**  
*Monoica & RICINO.*

48 **ANTIRRHINUM** *Cymbalaria dictum ex AN-*  
*TIRRHINO* *foliis hastatis alternis, caule flacido,*  
*& CAMPANULA cymbalaria folio.* 49

- 49 CAMPANULA *cymbalariae folio* a specie quadam  
**CAMPANULÆ** ante fœcundata a VERONICA *cym-  
 balariae folio*. Fl. /v. 18. Satis enim aliena a suo genere  
 gerit folia, & alias natura æquabiliter procedit.
- 50 CHENOPODIUM *viride*. Fl. /v. 214. a CHENOPO-  
 DIO *stramonifolio*. Fl. /v. 213. & forte a DATURA pe-  
 ricarpiis erectis ovatis. Fl. /v. 185.
- 51 HYDROCOTYLE *foliis reniformibus crenatis*. Fl.  
 Zeil. 118. ex CRYSSOSPENIO *foliis alternis*. Fl.  
 /v. 317. & TORENIA *kakapu*. Rhed. Mal. 9. p. 103.  
 t. 53.
- 53 SIBTORPIA a CHRYSOSPENIO *foliis alter-  
 nis*. Fl. /v. 217. & HYDROCOTYLE *foliis pelta-  
 tis*. Fl. /v. 221.
- 54 SAXIFRAGA *caule nudo simplici, foliis dentatis,  
 coma foliosa*. Fl. lapp. pag. 137. t 2 f. 3. a SAXI-  
 FRAGA *stellata*. Fl. /v. 355. & SAXIFRAGA  
*bulbifera*. Fl. /v. 351.
- 55 RHUS *foliis ternatis, caule repente ex RHOE  
 foliis ternatis angulatis & VITI foliis quinatis*.
- 56 SALVIA *africana frutescens, flore violaceo, folio  
 scorodonie*. a SALVIA *africana frutescente, flore  
 magno aureo*.
- 57 HEMEROCALLIS *flava & fulva*. Hort. Ups.  
 88. distinctæ quidem jam sunt, num nec ne tamen a  
 se invicem?
- 58 ZIZIPHORA 1 & 2. Hort. cliff. 305. quam proxime  
 congeneres sunt.
- 59 CRUCIANELLA 1 & 2. Hort. Ups. 27. etiam si folia-  
 tio

tio in his diversa est, fructificatio tamen probat, has a se invicem prodit.

60 CATANANCHE *flava* & *cœrulea* idem confirmare videntur.

Equidem Botanicis persuaderem, ad sequentia diffusiora genera animum attendant,  
ad ALPINA qualia sunt

*Saxifrage.* *Salices*

ad EUROPAEA ejusmodi sunt

*Euphorbiae.* *Gerania.* *Seneciones annue.*

*Solan. ann. spin.* *Campanulae.* *Chenopodia.*

*Statice* *Valerian.* *Locusta*

ad AMERICANA SEPTENTRIONALIA; huc spectant

*Amarantbi.* *Astere.* *Physalides.*

*Pbleges.* *Quercus.* *Helianthi.*

ad AMERICANA AUSTRALIA. quorsum referuntur

*Passifloræ.* *Solana spinosa.*

ad CAPENSIA. ad hæc pertinent

*Aloes* *Mesembryantb.* *Geranie.*

*Ericæ.* *Leucadendra.* *Proteæ.*

*Gnaphalia* *Lobelie* *Hermannie.*

ad ASIATICA AUSTRALIA; talia sunt

*Hedysara.* *Nyctanthes.* *Impatientes.*

*Hibisci.* *Phaseoli.* *Side.*

ad ASIATICA BOREALIA; his adduntur

*Artemisiæ,* *Astragali.* *Allia*

Hæc prolixiora genera eo magis suspecta habenda esse, ex ASTERIBUS judicamus, nec non QUERCUBUS, pulere a *Catisbeo* delineatis; que omnes in Patria saepe ita similes evadunt, ut per gradus descendant ab una in alteram, uti Autoptes Celeb. Prof. Kalmius ipse

Ipsé facetur; etiam si Creator singulas fere reliquarum distinctissimas fecerit.

Onus in nos susciperemus pergrave si soli omnem hanc commixtionem in regno quoque Vegetabili excutere, eruditioque arbi specierum hybridarum ortum in quem erat inquirendum, persuadere conaremur, cum res sane maxiimi momenti sit, quæque reformationem non minimam in republica Botanica, me judice efficere posset. Interea nobis satis erit, januam hujus scientiae aperuisse, & si Botanici ab illa non aberrant, facile videbunt, quæ sit ratio, quæ caussa difficultatis determinandi species distinctias plantarum. Optatam attingeremus metam, si illustres Botanicos incitare, hisque calcaria addere valuerimus, ut exacte ad minima attendant, ac dispieiant, an ejusmodi generationes, cuiusmodi in dissertatione nostra, ut verisimiles proponimus, usu veniant, ne diutius veritates tanti ponderis prætereramus, multo minus in posterum desideremus. In luce illa proferentur, si plures juncctis viribus, & in diversis locis præter observaciones, experimenta quoque instituere vellent circa quam plurima Vegetabilia, & imp̄imis circa prolixiora genera, quo necessario res vel confirmetur, vel etiam ratio aliis dematur diutius nobiscum hæsitandi. Si vero corroboretur, & testimonii hoc confirmetur, non potest non hocce phænomenon varia adferrè commoda, atque in propagatione & satione plantarum cœconomica-  
rum maximo nobis usui esse.





C. Bergqvist Sculpf.

